



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XV. Quomodo, & quando actualis erga Deum charitas sit
exercenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

Deus, felix satis, ditissimusque se ipso: sed cum perfecta voluntas sit summo bono adherere, eoque frui, utrumque vult tam homo iustus, quam Deus. Excellentissima hæc est animorum consensio. Igitur amicitia vera, diuturna, mutua, jucundissima, optima. De qua amicitia loquebatur Sponsus his verbis Sponsam alloquens Cant. 11. 13. *Surge Amica mea, speciosa mea, & veni.* Lucæ xii. 4. *Dico autem vobis amicis meis.* Joan. xv. 14. *Vos amici mei estis;* & alia complura.

7.
Objectionibus satisficit.

Contraria itaque argumenta me nihil movent, quoniam legibus illis amicitiam non circumscribo, nisi ubi uterque amicorum potest alterius benefactis augeri: quod si ad veram amicitiam requirebant Gentiles Philosophi, ignorabant hi munera charitatis, divinumque consortium. Erit tamen qui ad primam objectionem respondeant facta distinctione finis cui, & finis qui: ad alteram reponent ad amicitiam sufficere mutuam benevolentiam in alicujus boni communicatione: ad postremam, æqualitatem præstari à Gratia sanctificante, per quam efficitur *Divina consortes natura*, ut ait Petrus Epist. 2. cap. 1. 4. Egi de hac æqualitate Tom. III. pag. 305.

8.
De charitate actuali. quid sit. & quomodo iustificet.

Veniamus jam ad charitatem actua-
lem. Hanc S. Pater in III. de Doct. Christ. cap. 10. ait esse *motum animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum.* Brevis, perspicua, & expedita definitio. Hujus charitatis actus non semper in Augustiniana Schola est iustificans, sed quemadmodum charitas *habitualis* iustificat *formaliter*; ita actualis inchoate, & di-

positive, plus, minusve, prout charitas vehementior est, aut remissior; ita ut dilectio tenuis & languida persistat cum peccato, licet in aliquo extremo casu cum voto Sacramenti iustificet: vehementer tamen & flagrantissima Deo reconciliet priusquam Sacramentum actu suscipiatur. Quare nos dividimus charitatem in inchoatam & perfectam, & negamus omnem dilectionem Dei benevolam statim lege absque Sacramenti adminiculo conciliare Deo peccatorem. Charitatem perfectam consistere cum peccato defendi non potest, repugnatque Tridentino sess. xiv. cap. 4. Quia in re pessime erravit Bajus; & excessit etiam Guilelmus Estius. At dari charitatem inchoatam sine peccatorum remissione, ad hanc tamen disponere, haud obscure colligitur ex eodem Tridentino sess. vi. cap. 6. maxime si legatur Hist. Pallav. lib. viii. cap. 14. & Tridentinum conferatur cum 2. Arausicano cap. ultimo. Demonstratur etiam exemplo Magdalenæ, quæ accessit ad Christum ægra ut rediret sana, Catechumenorum, qui ante baptismum, etsi Deum amore casto diligere incipiant, adhuc tamen portant sarcinam iniquitatis; nec non Augustini, quem Deus ante acceptam baptismi gratiam sagittaverat charitate. At hæc ad trutinam revocabuntur, ubi disputabitur de Poenitentia sacramento. Interim sat est repetere verba S. Patris in postremo capite de Nat. & Grat. num. 84. *Charitas ergo inchoata, inchoata iustitia est: charitas provecta, provecta iustitia est: charitas magna, magna iustitia est: charitas perfecta, perfecta iustitia est, &c.*

CAPUT XV.

Quomodo, & quando actualis erga Deum charitas sit exercenda.

SUMMARIUM.

1. Propositio 1. Probatur.
2. Objectiones Solvuntur.
3. Propositio 2. Probatur.
4. Quo tempore actus amoris eliciendus.

5. Propositio 3. Probatur.
6. Quomodo Deus ex toto corde diligatur.
7. Obiectio & Solutio.

FUERUNT, qui præceptum diligendi Deum solis externis actibus impleri autumarunt; adversus quos calamum strinxit Merbesius in prima secundæ, Vanroy de Charit. cap. 3. Pietate 9. 4. alique permulti: extiterunt etiam qui docuerunt nullo unquam vitæ suæ tempore teneri hominem ad eliciendum charitatis actum: sunt fortassis, qui

ignorant qualis à nobis dilectio exigatur. Magni momenti sunt ista, sed obvia: ideoque explicanda, brevi tamen.

PROPOSITIO I. Deus etiam interiori charitate diligendus est.

Probatur 1. His verbis præceptum dilectionis exprimitur: Deut. vi. 5. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*

I.
Propositio 1.

Probatur.

corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Repetitur Matth. XXI. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Quis adversus tantam lucem adeo cæcuerit, ut dicat Deum diligendum non esse affectu cordis? Deinde si proscripta est ad Innoc. XI. ea propositio, *Non tenemur proximum diligere actu interno*: quanto magis hæc damnoatio ferit non diligentes interiori affectu summum Bonum, cum proximo aliquid externa officia afferant commodi, Deus autem voluntatem attendat, non censum? Ad hæc, si charitas est *motus animi*, ut supra diximus; si ad Deum graditur, ut ait S. Pater serm. 344. num. 1. *non pennis & pedibus, sed affectu*: quid est, nisi figmentum, illa sine affectu, & sine animi motu dilectio? Præterea sine charitate, qua creatura intellectualis Deo adhæreat, ut Augustinus ait lib. x. de Civit. Dei cap. 4. nullus est Dei cultus, nulla vera religio, nulla recta pietas, nulla Deo debita servitio. Postremo si externa sufficiunt officia; quomodo nobilior hominis pars Creatori suo subjicietur? quomodo erit sacrificium Deo cor humiliatum? quomodo adorabitur supremum Numen in spiritu, & veritate? quomodo abominabiles erunt qui Deum labiis honorant, cor autem eorum longe est ab illo? Facessat ergo fallax, perniciofa, ac stultissima eorum opinio, qui affirmare ausi sunt cordis dilectionem ad præceptum non pertinere: obtruterunt enim, factique rebelles lumini, nec inditam legem, nec ordinatam per angelos in manu Mediatoris, nec demonstratam à Luce, quæ illuminat omnem hominem, paululum inspexerunt.

2.
Objectiones
Solvuntur.

Nescio autem quid sibi velint frivolis ineptisque argutiunculis. Joannis XIV. inquit, legimus: *Si diligitis me, mandata mea servate*; nulla ergo præter observantiam præceptorum nobis dilectio injungitur. Adjiciunt: Nonne possumus implere omnia mandata ex solo timore poenæ? Insistunt: At Bernardus Sermone 50. in Cantica scribit. *Est charitas in actu, & in affectu, & de illa quidem, quæ operis est, puto datam legem hominibus, mandatumque firmatum; nam in affectu quis ita habeat ut mandetur?* At nugæ hæc sunt, supra quam dici possit archetypæ, atque bullatæ. Enimvero Apostoli, quibus dictum est, *Si diligitis me, mandata mea servate*, jam proculdubio diligebant, eisque imperatur ut diligant, & mandata con-

servent, ut accipiant, manifeste, Spiritum sanctum, atque innotescat quod habent. Ita Aug. Tract. LXXIV. num. 1. Ergo non diligentibus præcipitur ut diligant: diligentibus vero ut dilectionem factis comprobent, in eaque proficiant. Qui autem præcipit argumenta amoris, vult potius amorem ipsum: ait enim S. Doctor in libro de Magistro, cap. 1x. num. 25. *res, quæ significantur, pluris quam signa esse pendendas.* Timorem laudo, & legis pædagogum appello cum ipsomet Augustino serm. 161. n. 8. sed timendum est, ut formido custodiat, & perducatur ad dilectionem; quæ, auctore Apostolo ad Rom. XI. 10. est *plenitudo legis*. Ex divo Bernardo quid infertur, nisi charitatem actualem præceptam esse, eam vero quæ gustat, sapit, afficitque suaviter, & quam appellat charitatem *in affectu*, non ad meritum dari, sed ad præmium? Neque hoc dico, ait seq. num. 3. *ut sine affectione simus, & corde arido solas moveamus manus ad opera*: distinctaque triplici affectione, quam vocat carnis, rationis, & sapientiæ, Igitur, inquit, *per secundam opera sunt, & in ipsa charitas sedet, non illa affectualis, quæ sale sapientiæ condita pinguescens magnam menti importat multitudinem dulcedinis Domini, sed quædam potius actualis: quæ etsi nondum dulci illo amore suaviter reficit, amore tamen amoris ipsius vehementer accendit.* Charitas ergo *in affectu*, quæ datur in præmium, est juxta Bernardi sensum charitas reficiens post opera, & dulcis beatorum amor. Imo non negat S. Doctor pertinere etiam ad mandatum charitatem *affectualem*, dummodo non intelligatur charitas illa plena, & dulcissima, quæ est merces Sanctorum; ait enim: *Aut si placet tibi magis de affectuali datum fuisse mandatum, non inde contendo, dummodo acquiescas & tu mihi, quod minime in vita ista ab aliquo hominum possit, vel poterit adimpleri.* Quid plura? Docet animam non posse se ipsam toto nisu ad Deum colligere, & Divino insigere vultui, quamdiu eam huic fragili, & ærumnoso corpori intentam, & distentam, necesse est subvenire: sic enim se ipsum explicat Tract. de diligendo Deo cap. x. num. 29. At hæc non in gratiam contrarii argumenti, sed in melliflui Doctoris venerationem dicta sunt.

PROPOSITIO II. Rationalis creatura semper debet aut actu, aut virtute Deum diligere.

Demonstratur; nam Ecclesiasticus Probatur. XIII. 18. ait: *Omni vita tua dilige Deum;*

3.

Propositio.

Deum : & S. Pater lib. 1. doct. Ch. cap. 22. docet nullam vitam nostram partem relinqui, quia vacare debeat, & quasi locum dare ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit. Rationem affert idem S. Pater de moribus Ecc. cath. cap. VIII. num. 13. quia Deus est nobis summum bonum : neque infra remanendum nobis est, neque ultra querendum; alterum enim periculosum, alterum nullum est. In hoc sita est hæc dilectio continuo tenenda, ut nulli rei create amore tanquam fini ultimo, & propter se inhæreamus : quod proculdubio humanos actus inquinaret; sed studeamus Bono incommutabili toto affectu adhærere, quod, ut docet eo loci S. Pater, reddit hominem optimum : aut saltem operemur ob inditam ingenitamque legem honestatis, ne opera moralium virtutum inani gloria, aut cupiditate labefactentur. Quamquam igitur actus dilectionis nequeat omni momento elici, neque ad hoc obligent præcepta affirmativa; sic tamen semper affecti esse debemus, ut amor animi nostri pondus cor ad fluxa bona non deprimat, neque à charitate Dei creatura aliqua illud prava cupiditate divellat. Vide Riccium in Prop. damnatas disput. 11. pag. 101.

4.
Quod tempore actus amoris eliciendus,

Actus autem dilectionis quo præcise tempore sit eliciendus arduum est definire. Alex. VII. die 25. Septem. anno 1665. proseripsit mores luxantem, perniciosissimamque sententiam, quod neminem id obstringat aliquo vitæ tempore : & Innoc. XI. die 2. Martii anno 1676. quod ad hoc non teneamur ne singulis quidem rigorose quinquenniis. Innovandum quotannis charitatis actum censuit Ledesma : singulis festis diebus Merbesius, à quo non recedit Vanroy. Urgere hoc præceptum statim ac pervenitur ad rationis usum demonstrat S. Thomas 1. 2. q. 89. art. 6. eo quod prima rationalis creaturæ inspectio sit præfigere sibi finem, ad quem cætera sunt referenda : quam sententiam propugnant Nostrates, & Dominicus Viva S. J. in Trutina damnatarum Theol. Vol. 1. pag. 31. fatetur esse inconcussam. Persuasum nobis est requiri actum aliquem benevolæ dilectionis ut peccator Deo reconcilietur, etiam in Sacramento : quamvis oppositum teneant permulti. Præterea in mortis articulo constitutum teneri ad charitatis actum, perspicuum est : tunc enim dirigenda potissimum est à nauclero navis, cum in portum

conjicitur; illamque prædones diripere, tempestates frangere, & angustus aditus, litorisque statio facile possunt in naufragium impellere. Si etiam adversitas institutionis festorum causam, Deum colendi, hostias immolandi spirituales, rebusque Divinis vacandi; haud improbabili videbitur Merbesii, Cabezudi, Vanroy, aliorumque sententia. At in his, quod monet etiam Sauresius de Charit. disp. v. sect. 3. sequere prudentiorum consilia.

PROPOSITIO III. Diligendus est Deus ex toto corde, in tota anima, in tota mente.

Hunc diligendi modum præscribit Deut. VI. 5. & Matth. XXI. 37. Fit autem dum principium studium in eo locatur, ut summo bono adhæreamus : dum nihil Deo præfertur : dum creaturis utimur, ut Deo fruamur. Quod sedulo implendum ratio urget, & iustitia naturalis, inquit S. Bern. de dilig. Deo cap. 5. num. 15. Ratio petitur ex quo Deus sit bonum qualibet alia re pluris æstimanda; necnon sit ipse charitatis causa efficiens & finalis : nam solus præcedit benignior, rependitur iustior, expectatur suavior, ait idem Doctor eodem libro cap. VII. num. 22. Iustitia oritur ex plurimis ac maximis beneficiis, quibus nos cumulavit, atque ex illo maxime, quod filii ejus nominemur & simus, Joan. Epist. 1. cap. III. 1. nostrique causa Unigenitum suum dederit. Scite, qui ad Crucifixi imaginem in Florentino S. Spiritus Templo scripsit :

Hic me solus amor ligno confixit in alto.

Diligitur autem Deus ex toto corde, dum in eum referuntur omnia consilia nostra, omnis cognitio, omnis vita, omnis intellectus, & dilectio Dei nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuitur. Vide Augustinum de Morib. Eccl. cap. VIII. num. 13. & in 1. de Doct. Christ. cap. XXII. num. 21. Paulini Epistolam ad Celantiam, Salesium lib. 1. cap. 6. Diligit toto corde, qui omnem cognitionem in Deum confert : tota mente, qui intellectum Deo subjicit, ac tota anima, qui appetitus secundum Deum regit. Haud male in Matthæi vicesimum secundum Lyranus.

At dices : Si ita est, nullus in hac vita poterit implere dilectionis præceptum. Respondeo, quod aliquid ex toto corde, & in tota anima, in tota mente facere dicimur duplici sensu; primo si actio tanto charitatis ardore

7.
Objectio et solutio.

impendatur, ut non poſſit vehementius intendi: ſecundo ſi in ea præcipuam curam ſtudioque collocemus. Primo modo non impletur præceptum dilectionis, niſi in patria, ut docet S. Pater Auguſtinus de Perfect. juſtit. cap. 8. & de Sptrit. & lit. cap. ult. ac D. Bern. ſerm. 50. in Cant. & de dilig. Deo cap. 10. Altero modo impletur etiam in hac vita, etiamſi extinguerenon poſſimus concupiſcentiæ luctamen præpediens impetum caſti amoris vehementiorem; dummodo nihil appetatur illicitum. *Aliud enim eſt totam non aſſequi charitatem, aliud nullam ſequi cupiditatem*: inquit Auguſtinus eodem libro de Sp. & lit. num. 65. Legite Eſtium in 111. diſt. 27. §. 8. & in caput 6. Deut. Horſium in D. Bern. Annot. &c. Addo & ſacra, & profana

locutione dici aliquid fieri toto corde, & ex tota anima, quando in id mente intenti ſumus. Nam de Joſia 1v. Regum 21. 11. 3. legitur ſœdus coram Domino percuſſiſſe cuſtodiendi præcepta & ceremonias, *in omni corde, & in tota anima*: de Davide Eccleſ. 1. 10. *De omni corde ſuo laudavit Dominum*: & 111. Regum 14. 8. *Cuſtodivit mandata, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo*: de cæteris juſtis omnibus Pſal. 101. 1. *In toto corde exquirunt eum*. Profana exempla ex Catullo, Thucydide, Antonino vide apud Grotium in Matthæum. Jure ergo meritoque Tridentina Synodus ſeſſ. vi. cap. 11. & can. 18. damnavit Sectarios autumantes mortaliū neminem poſſe præceptum charitatis implere.

CAPUT XVI.

De Amore, ut vocant, puro. damnatoque
Quietismo.

SUMMARIUM.

1. Varii errores hæreticorum circa amorem.
2. Amor Quietismi & indifferentiæ.
3. Propoſitio 1. Probat hujus pars 1ma.
4. Probat 2. Pars.
5. Propoſitio 2. Probat.

6. & 7. Oppoſitio Quietistarum, & reſponſio.
8. Propoſitio 3. Probat.
9. Ac confirmatur.
10. 11. & 12. Solutiones objectionum.

I.
Varii errores hæreticorum circa amorem.

POSTEAQUAM anno 1311. damnati fuerant in Viennensi Concilio Begardorum errores: posteaquam extincta fuerat Illuminatorum secta, quæ Hispali eruperat circa annum 1623. præcisusque anno 1656. furculus vetusti erroris, quo aliqui adeo se in Dei amore profecisse jactabant, ut nacti spiritus libertatem, quidquid agerent, nunquam à charitate deſecterent, erupit idem error, pestiferumque venenum effudit, navante operam Michael de Molinos. Perniciosam is Mysticam scholam fabricaturus asseruit primo annihilandas esse potentias animæ, hanc non debere in aliquo opere active se gerere, debere se regendam committere Divinæ voluntati, nihil ab ea petendum, omnemque sollicitudinem propriæ salutis, spem, timorem, desideria quæque virtutum deponenda. Ficta istiusmodi sine voluntatis actu indifferentia, consequenter affirmavit, animam in sua quiete orare etiam dum somno abripitur, dum impuræ occurrunt cogitationes, imo dum aut dæmonis instinctu, aut alterna maris & faminæ sollicitatione carnales actus exercentur, propterea

R. P. Berti Theol. Tom. IV.

quod hæc omnia, licet eveniant in vigilia & sine mentis offuscatione, non commaculent superiorem partem illius, qui semel Deo proprium subjecit arbitrium. Proscripsit tam nefaria dogmata in Bulla *Cælestis Pastor*, emanata die 20. Novembris anno 1687. Innoc. XI. Romanus Pontifex.

Non quidem in tam fœda & absurda, sed in *Quietismo* tamen incautus prolapsus fuerat Cameracensis Antistes Franciscus de Fenelon in libro Gallice inscripto, *Explication des Maximes de Saints*, in lucem edito an. 1697. Quo in libro docuerat dari statum quemdam *habitualement* amoris Dei, qui est charitas *pura*. Hunc esse statum sanctæ indifferentiæ, in quo nec æternam salutem volumus: dari in eo extremas probationes, in quibus non solum spes omnis amittitur. verum etiam potest anima invincibiliter credere se juxta à Deo reprobam, & tunc mystica morte, & à Deo derelictam quasi cum Christo in cruce *spirare*: istam tamen perturbationem cieri inferiori in parte cæca, & involuntaria passione, ita ut in superiori regnet charitas, dum inferiori rem percellit desperatio. Gravi censura

2.
Error Quietismi & indifferentiæ.

T

per-